

# The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

## Mulier x cum uariis

Quid aliud est mulier nisi amicitie inimica, ineffugabilis pena, necessarium malum, naturalis temptatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum; mali natura, boni colore depicta? Ergo si dimittere illam peccatum est, tenere autem uere tormentum est. Necesse est autem ut aut dimittentes adulterium faciamus, aut tenentes cotidianas pugnas habeamus.

Chrysostomus super illud Matthei XIX: Non expedit *nubere*.

---

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>):

malum] mala P V<sup>1</sup>; boni] bono (*cor. supra lin.*) C; est] ut *add. (del. sub lin.)* B; nubere] Mulier y: Quid enim quis dicat, aut quomodo quis enarret mulierem illam crudelem maliciosam? Ego quidem extimo nullam esse in hoc mundo bestiam comparabilem mulieri male. Quid inter quadrupedia animalia leone seuius? Sed nichil ac ferocius quid in serpentibus dracone acrius? Nec hoc quidem cum muliere mala conferri potest. Nam leo et draco in malo inferiores sunt. Danielem leones in lacu ueriti sunt, iustum uero illum Naboth Iezabel interfecit, cetus Ionam in uentre custodit, Dalida Samson circumuentum illecebris raso etiam capite deformatum alienigenis tradidit. Iohannem Baptistam in deserto uiuentem dracones et aspides cornute subdita feritate tremuerunt, Herodia uero eidem caput abscidit, et tanti uiri mortem in precium saltationis accepit. O malum summum et acutissimum diaboli telum mulier! Per mulierem Adam ab initio in paradiso cecidit, mulier ipsum exterminauit. Per mulierem mitissimus ille Dauid sui militis innocentis Vrie epistole dolo occidendum hostibus presentauit. Mulier sapientissimum Salomonem in preuaricationis sacrilegium precipitauit; mulier fortissimum Samsonem rasi, rasumque excecauit; mulier castissimum Ioseph uinculis alligatum in carcerem trusit; mulier Iohannem totius mundi caput capite truncauit. Quid dicam de hominibus cum mulier angelos de celo deposuerit; mulier malicia omnes prostrauit, omnes iugulat, omnes interficit, omnes elidit; mulier impudens nemini parcat, non leuitam honorat, non sacerdotem reueretur, non prophete differt. O malum omni malo peius mulier mala! Siue illa pauper sit, siue diues si facultates habet; cooperatrices sunt malicie sue. O malum intolerabile, uipera irremediabilis, uenenum insanabile, mulier mala! Si iniuriam patitur, insanit; si honorem accipiat, extollitur; si potentis uxor sit, non cessat nocte ac die callidis stimulare sermonibus, blandit nequiter, et quod uult importuna rapit uiolenter. Si pauperem habeat uirum, ipsum ad iracundias et rixas incitare non desinit; si uidua sit, omnes passim despicit, et ad omnem audaciam superbie inflatur. Timor Dei non refrenat linguam suam, nec irata futurum iudicium prospicit, nec ad Deum attendit. Chrysostomus in sermone decolationis Iohannis Baptiste. *add.* P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>